

Joachim Heinrich Sibrand

**Rector Universitatis Rostochiensis Ioachimvs Henricvs Sibrand ... De Captivis Et Redemtis Ab Hostibvs, Tempore quadragesimali Passionis Dominicae ... Ciuium Academicorum proponit**

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingi[i], [1714?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003519733>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1714. Fasten

~~A-1256~~ 134.


Q. 1714

**RECTOR**  
VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS;  
**IOACHIMVS HENRICVS**  
**Sibrand/**

V. I. D. & Institut. Prof. Publ. Ordin.  
Singulare redemptionis genus, aliaque;  
Occasione tituli P. & C.

*De*

**CAPTIVIS ET**  
**REDEMTIS AB**  
**HOSTIBVS,**



Tempore quadragesimali  
**PASSIONIS DOMINICAE,**

Vlteriori meditationi  
**Ciuium Academicorum**

*proponit.*

---

ROSTOCH, Typis Joh. Wepplingl, SERENISS, PRINC,  
& ACAD, Typogr,

M. 1256 134



**N** rebus spiritualibus, non solum hominem quemcunq;  
sed &, quod magis mirum, haud paucos, si non plu-  
rimos Christianorum, prout dicuntur, qui tamen dum  
re priuantur, nec nomen habere merentur, praelucen-  
te licet ipsis vndiquaque luce Euangelica, adeo coe-  
cutire, vt fugienda omni studio sectentur, & sectanda  
fugiant, innumeris quidem doceri posset exemplis:  
Vnicum tamen saltem hac vice, cum tempus, quod  
memoriae Passionis Dominicae destinavit Ecclesia  
Christiana, rursus aduentarit, ex pluribus eligam, atque meditationi vestrae, Ci-  
ues optimi, Lectissimique, exigente hoc a me officio, quod impraesentiarum susti-  
neo, sistam & in medium producam. Nimirum hoc, dum captiuitatem mise-  
ram, imo miserissimam, aureae praeferunt libertati, & loco imperii, seruitutem  
eligunt. Cui dolendam, si non deplorandam hanc coecitatem debeamus, ne-  
minem nostrum latebit, dum constat, per lapsum infelicissimum Protoplastarum,  
lumine nos omni in spiritualibus priuatos, eosdemque, cum seposito mandato  
diuino, falsis persuasionibus Satanae, aurem praeberent facilem, in captiuita-  
tem ipsius miserissimam, ac seruitutem intolerabilem incidisse: quorum vestigiis  
quilibet hominum, sibi ipsi relictus, proh! dolor, magno suo malo, quam dili-  
gentissime accuratissimeque insistit. Equidem in temporalibus, vix illum sa-  
nae mentis credideris, quicumque haud perspexerit, quid distet libertas captiui-  
tate, & imperium seruitute: At in spiritualibus, sapientissimi etiam, prudentis-  
simique huius seculi homines, in coetu licet Christianorum versantes, insipientiam,  
atque imprudentiam suam, hac in parte satis superque produunt, ratio-  
nem potius corruptam, aliorumque exempla, quam verbum diuinum reuela-  
tum, pro norma ac regula actionum suarum assumentes. Vnde haud mirum,  
quod a Duce suo, deceptore summo, incauti seducantur, damnum sua culpa-  
sentientes. Accidit nimirum his, quod quotidie videmus in illis, qui castra  
sequuntur. Norunt hi, quod bellis ortis, captiuitates sequuntur, nec tamen  
propterea bellum fugiunt. Et quod adhuc grauius, quondam Iure Gentium,  
( loquor ex principiis Imperatoris nostri ) bellis ortis, seruitutes secutae: fiunt  
enim serui ex captiuitate, *S. 2. J. de J. N. G. & C. §. 4. J. de J. P. & capti*  
*fiunt serui capientium, L. 24. in fin. ff. de Captiu.* nihilo tamen minus haud exi-  
guus semper fuit militum numerus. Pari ratione, bello spirituali orto inter  
DEVM & satanam, quorum vterque eo allaborat, quo hominem potestati suae  
subiciat, sibi que subiectum reddat, captiuitates quotidie sequuntur, & serui-  
tutes: nec tamen desunt, qui castra satanae sequuntur, qui semet mancipia  
ipsi sistunt, atque ab ipso manu capi patiuntur. In hac classe infima locandi,  
( & optandum sane, vt hi, qui nullos in Christianismo fecerunt progressus, qui  
nullos

nullos in eodem profectus habent, semet in eadem locarent ipsi, nec plus de facultatibus suis sperarent, quam in illis est) qui vident meliora, probantque, & tamen deteriora studio, vltro, & ex proposito sequuntur. Seu, vt verbis Spiritus Sancti vtar, (quilibet nostrum qui haec legit, quamuis minor saltem illorum sit numerus, quaerat cum discipulis Saluatoris nostri, cum diceret illis, vnus ex vobis prodet me, & dicat sigillatim, num ego? & alius, num ego talis sum? *Marc. XIV, 18. 19*) qui dicit de malo, bonum esse, & de bono, malum: qui statuit tenebras pro luce, & lucem pro tenebris: qui statuit amarum pro dulci, & dulce pro amaro? *Jes. V, 20. 21.* num ego talis sum, qui quoties audit verbum salutis, & admonitionis seriae, regerit: addatur praeceptum praecepto, praeceptum praecepto, delineatio, delineationi, delineatio delineationi, pauculum hic, pauculum illic, *Jes. XXVIII, 10.* num ego talis sum, qui disponit fallaciam receptum suum, & in mendacio abscondit se, vel iuxta versionem B. Lutheri, *der die Lügen Seine Zuflucht / und Heuchelei Seinen Schirm machet* *Jes. XXVIII, 15.* num ego talis sum, qui appropinquat ad DEVM ore saltem suo, & labiis suis honorat ipsum, cor autem suum procul amouet ab ipso? *Jes. XXIX, 13.* num ego talis sum, qui abdit in profundum a Iehouah consilium, & existente in tenebris opere suo, dicit, quis videt me? & quis animaduertit me? *Jes. XXIX, 15,* num talis sum, qui loquitur & perficit mala, quantum potest, und lässt sich nicht steuren. Iuxta versionem B. Lutheri. *Ferem. III, 5, (II, 42.)* anne sum e numero illorum, qui sapientes sunt ad malefaciendum, & benefaciendi ignorantes, die weisse gnug sind übels zu thun/ aber wohl zu thun nicht lernen wollen/ vertente B. Luthero. *Fer. IV, 22.* Num talis sum, qui reddit faciem suam obfirmatiorem petra, qui renuit conuerti? *Fer. V, 3.* num talis sum, qui frangit iugum, & diripit vincula? *Fer. V, 5.* num talis sum, cui animus est contumax & rebellis, qui vt recessit, pergit, neque dicit in animo suo, reuereamur Iehouam, *Fer. V, 23.* num talis sum, cui verbum Iehouae est pro brosum, nec delectatur eo, *Fer. VI, 10.* Num talis sum, qui dicente Iehouah, interrogate quanam sit via boni, & ambulate per eam, ita inuenietis requiem animae vestrae, dicit, non ambulabo, non attendam, *Fer. VI, 16, 17.* Num ego sum contumacium contumacissimus, atque corruptor, *Fer. VI, 28.* num ego sum, quem haud poenitet malitiae suae, nec dicit, quid feci? *Fer. IIX, 6.* num ego sum, qui de malo in malum procedit, nec agnoscit Iehouam, *Fer. IX, 3.* num ego sum, qui amico suo illudit, ac veritatem non loquitur, qui docet linguam suam loqui falsum, qui peruerse agendo defatiscitur, *Fer. IX, 5.* (conf. *Genes. XIX, II.*) num ego ex illis sum, quorum lingua culter iugulans est, & dolum loquitur. qui ore suo cum amico suo pacem eloquantur, at in animo suo disponunt insidias *Fer. IX, 8.* num ego sum, qui derelinquit Legem Iehouae, neque auscultat voci ipsius, neque ambulat in illa, sed sequitur sententiam animi sui, *Fer. IX, 13, 14.* &

XIII, 10. & XVI, 12. num ego sum, qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum, a Iehouah autem recedit animo suo, *Fer. XVII, 5.* anne illos sequor, qui alloquente ipsos Iehouah, reuertimini quisque a via sua pessima, & bonas efficit vias vestras, actionesque vestras, dicunt, animum abieciimus reuertendi, sed cogitationes nostras sequamur, & quisque ex sententia animi sui pessimi, faciamus, *Fer. XIII, 11, 12.* num ego talis sum, qui obuertit Iehouae ceruicem, & non faciem, & docenti se, inde a diluculo indefinenter, minime auscultat ad percipiendam eruditionem, *der nicht hören will/noch sich bessern/ iuxta B. Lutherum, Fer. XXXII, 33.* sed omnino facit quodcunque verbum prodierit ex ore suo, quemadmodum fecerunt semper maiores, *Fer. XLIV, 14.* num talis ego sum, qui spernit Iura Iehouae & in statutis ipsius non ambulat, *Ezech. V, 6.* num ego talis sum, qui exaltans se facit abominationem coram Iehouah, *Ezech. XVI, 50.* qui DEVM in cuius manu est anima ipsius, & penes quem totum iter ipsius, non glorificat? *Dan. V, 23.* anne ex illis sum, qui diligunt inanitatem, & procurant mendacium summe, vel iuxta B. Lutherum, *die das eitele so lieb haben/und die Lügen so gerne/Pf. IV, 3.* qui vanū loquuntur alter cum altero, qui duplici corde loquuntur *Pf. XII, 3* num ego talis sum, qui obtretrat lingua sua, qui afficit proximū suum malo, & opprobrium effert in propinquum suum, *Pf. XV, 3.* num ego sum in numero hominū de mundo, quorum portio est in hac vita, qui relinquunt excellentiam suam infantibus suis, *Pf. XVII, 14.* qui loquuntur pacem, *freundlich* cum proximis suis, malitia obtinente in animo eorū, *Pf. XXVIII, 3.* qui in vanum perstrepunt, *die ihnen viel vergeblicher Unruhe machen/ iuxta B. Lutherum Pf. XXXIX, 7.* qui celebrant aliquem, quod beneficiat sibi, *die es preisen/wenn einer nach guten Sagen trachtet/ vertente B. Luthero, Pf. XLIX, 19.* qui confidunt in opulentia sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur *Pf. XLIX, 7.* num ego talis sum, cuius blanda sunt butyrina verba, dum bellum insidet animo eius, cuius molliora quidem verba oleo, sed stricti gladii sunt? *Pf. LV, 21.* anne ambulo ex sententia animi mei? *Pf. LXXXI, 13.* num sum sapiens iudicio meo? *Prouerb. III, 7.* anne ex illis sum, qui e terra sunt, terreni sunt, & terrena loquuntur, *Joh. III, 31.* I. *Joh. IV, 5.* qui configurant semet seculo huic, *Rom. XII, 2.* qui elate de se ipsis sentiunt, nec humilibus obsecundare volunt, *Rom. XII, 16.* qui illud quod concupiscit caro, perficiunt, *Galat. V, 16.* in quibus deprehenduntur manifesta opera carnis, quae recensentur *Galat. V, 19. 20. 21.* Num e numero illorum sum, qui ditescere volunt, & per *πλεονεξίας* incidunt in tentationem, & laqueos satanae, & cupiditates multas amentes & damnosas, quae demergunt ipsos in exitium, & perniciem: siquidem radix omnium malorum est amor pecuniae, quam quidam dum appetunt, aberrarunt a fide, & se ipsos vndiquaq; transfixerunt doloribus multis. *Timoth. VI, 9.* 10. quae sane admodum notabilia sunt verba Spiritus S. ast si quando illis, qui ditescere volunt, in quibus est amor pecuniae, qui pecuniam

niam appetunt, proponantur, audiunt quidem haec omnia, illi, qui sunt auari (non quidem iuxta communem loquendi modum, sed secundum principia moralia Spiritus S.) aut fannis dicentem excipiunt *ἐξέμυκτη ἐλπίσω Luc. XVI, 14.* Anne ego ex illis sum, qui sunt homines sui amantes, gloriosi, superbi, maledici, ingrati, profani, charitatis expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites, minime amantes bonos, proditores, praecipites, inflati, voluptates amantes potius, quam amantes DEVM, habentes formam pietatis, sed qui vim eius abnegant, obsistentes veritati, 2. *Timoth. III, 2. 3. 4. 5. 8.* qui haud abnegare volunt impietatem, nec mundanas cupiditates, *Tit. II, 12.* qui diligunt mundum, & ea quae in mundo sunt, 1. *Joh. II, 15.* qui volunt amici esse mundi, & mundanorum, *Jacob. IV, 4.* qui DEI gratiam transferunt ad lasciuiam. *Jud. v. 4.* num ego sum arbor emarcida, infructifera, v. 11. in cupiditatibus impiis incedens, cuius os loquitur praetumida, qui respectum habet personarum vtilitatis gratia, v. 16. & qui sunt huius generis alii, qui & *captiuorum* in bello, & *seruorum* repraesentant personam: quorum *illud* confirmat Ecclesia Christiana, & publice & priuatim lamentando, dem *Zeufel ich gefangen lag/ der hielt uns in seinem Reich gefangen*; Hoc autem testatur Paulus Apostolus *Rom. VI, 17. & 20.* vbi mentionem iniicit *Seruorum* peccati, & per necessarium consequens, fatanae, qui auctor est peccati. Vbi quidem facillime comparatio institui posset inter illos, qui captiui sunt hostium, horumque serui, & inter illos, qui captiui sunt fatanae, huiusque serui: Sed ad aliam haec reseruamus occasionem. Miramur saltem hac vice, quot sint viae deuiae a via regia, & quanto nisu, quanto ardore, homo infelix contra proprium laboret commodum, in eo, quod captiuitatem miserrimam aureae praeferat libertati, & loco imperii feruitutem eligat. Nimirum constituit benignissimum Numen captis a fatana Redemptorem incomparabilem, qui perquam sufficiens non solum obtulit, sed & reuera iam persoluit redemptionis pretium, seu lytrum, & captiuos redemit ab hostibus. Docet hoc expressissimis verbis Spir. S. 1. *Timoth. II, 5. 6.* Christus Jesus, inquit, sese ipse dedit redemptionis pretium *ἀντιλυτρον*, pro quibusuis: quod & ipse affirmat Seruator noster *Matth. XX, 28.* filium hominis venisse, vt det animam suam in redemptionis pretium *λυτρον*, pro multis. Vbi autem *λυτρον*, & *ἀντιλυτρον* datur, ibi captiui sint necesse est, sunt enim haec correlata. Collimant quoque huc alia Scripturae S. dicta, in quibus vestigia apertissima redemptionis ab hostibus factae apparent. Audiamus verba *Petri* Apostoli in *priori* sua *epistola* catholica I, 18. 19. huius tenoris: Sciatis, vos non corruptibilibus rebus, argento vel auro fuisse redemptos, *ἐλυτρώθητε*, e vana illa vestra conuersatione a patribus tradita, sed pre-



tioso sanguine, (en! *λυτρῶν* incomparabile, sufficientissimum) vtputa agni inculpati & incontaminati, nempe Christi. Idem inculcat Paulus Apostolus, sequentia docens *Coloss. I, 14.* in Christo habemus redemptionem *ἀπολυτρῶσιν* per sanguinem ipsius, i. e. remissionem peccatorum. Et *Ebr. IX, 11, 12.* adueniens Christus Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem aeternam redemptionem, *λυτρῶσιν* nactus, *jung. v. 15.* Porro *1. Corinth. I, 30.* Christus factus est nobis a DEO redemptio, *ἀπολυτρῶσις. Tit. II, 14.* Christus dedit semet ipsum pro nobis, vt redimeret nos *λυτρώσεται* ab omni iniquitate, conf. *Luc. I, 68.* & si quae sunt loca alia plurima parallela. In eo autem plane singulare est hoc redemptionis genus, quod meditandum Vobis propolui, Ciues optimi, quod redemptio haec ab ipso hoste facta, seu quod idem, hostis redemit hostes suos. Hoc nulla excogitare potest ratio, hac ratione nullus vnquam Legum interpret, & ICTUS explicare poterit. *tit. ff. & C. de captiuis & ab hoste redemptis*, lumine reuelationis si quando destitutus: Nec vnquam hostis hostem redimet, dum interitum saltem & exitium ipsius quaerit, iuxta regulas belli. Ast talis incomparabilis plane redemptor est Seruator noster vnicus, dulcissimus, si quando ipsum tanquam DEVM iustissimum, sanctissimumque spectemus, & inimicitiam, quae posita inter ipsum & Satanam, huiusque asseclas, *Genes. III, 15.* per mortem enim ipsius reconciliati sumus DEO, cum inimici adhuc essemus, *Rom. V, 10.* En! inimicum, & hostem redemptorem. En! captiuos redemptos ab hoste. En! hostem, non hostem, & tamen hostem. En! captiuos redemptos, & nihilominus adhuc captiuos, quando pretium redemptionis acceptare nolunt redempti, & captiuitatem libertati, seruitutem imperio anteponunt, praeter intentionem ac votum redimentis. Longe alia per DEI gratiam illis est mens, qui captiuitatis Satanae miserrimae, quae potiori adhuc iure, quam illa Turcarum in *R. I. de anno 1542. S. und wie wohl nun dici meretur eine tyrannische viehische Dienstbarkeit / und Sclaverey /* qui durissimi ipsius iugi, ac imperii plusquam despotici pertaesi. Acceptant hi per veram, saluificam fidem, lytrum optimum maximum, sanguinem diuinum, cuius virtute, ac vi e deuidis victores, e captiuis liberi, & e seruis satanae, domini ipsius euadunt. Est haec admiranda, imo stupenda metamorphosis, est haec beata transmutatio: quam quidem maximopere ipsis inuidet hostis humani generis, nec tamen eandem tollere potest, quamuis vt illam impediatur, omnibus modis allaboret: quam quidem rident ac floccipendunt, quicumque a partibus Satanae stant, & semet in statu suo longe felicissimos esse putant, tandem tamen loco probae monetae, adulterinam, infcios, & deceptos possedisse, in aeternum deploraturi. Nimirum

fici

ficti illi, & putatiui Christiani, semet quoque per Christum redemptos esse  
iactant, prout & redemptos esse, negari nequit, non tamen de vero solliciti  
sunt redemptionis pretio, sed a veteratore summo, loco probae monetae,  
adulterinam sibi substitui patiuntur, quatenus in tenebris ambulant, oc-  
ulosque habent obcoecatos, neque eandem admovent ad Lapidem Lydium,  
verbi Diuini. Ficti illi & putatiui Christiani, semet per redemptionem Ser-  
uatoris, liberatos esse ab imperio satanae, sibi persuadent, ast liberta-  
tem arripiunt, vt datam carni occasionem *Galat. V, 13.* & veluti malitiae  
velamen eandem habent, *1. Petr. II, 16.* Est ipsis maxime acceptum liber-  
tatis Christianae nomen: ast in quonam illa consistat, vel ignorant, vel  
scire nolunt. Elegantia plane, & Principe digna sunt verba Imp. Se-  
ueri & Antonini, quae adducit Imperator in *S. 8. I. quib. mod. testam. in-  
firm.* Licet Legibus soluti simus, attamen Legibus viuimus. Quae, si  
quando ad libertatem Christianam applicauerimus, veterator ille pessimus,  
& Sophista nefarius, discipulis suis ita inculcat, vt fallaciam committat  
compositionis & diuisionis, posterius membrum, a priori auellendo. Huic  
enim thesi promptissime subscribunt illi, de quibus iam dixi Christiani, *Le-  
gibus soluti sumus*: siquidem lubentissime dirumpunt lora ipsarum, & pro-  
iciunt a se densos funes istarum *Psal. II, 3.* vel etiam abutuntur verbis  
Apostoli *Rom. X, 4.* finis Legis est Christus, ad iustitiam cuius credenti,  
cum ipsi haud sint credentes: Posterius autem membrum, *attamen Le-  
gibus viuimus*, omittunt. Aequae ac contingit in dicto illo aureo, *Rom.  
VIII, 1.* nulla nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu: Hic  
iubet subsistere satanas: Cum tamen sequentia quoque omnino addenda,  
qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum. Et qui-  
dem illa demum vera est libertas, seruum DEI esse, & Legum diuina-  
rum. Est hic effectus redemptionis ab hoste, quod si quis seruum ab ho-  
stibus captum, redemerit, protinus sit redimentis, & constitutio quae,  
de redemptis lata, eum seruum facit redimentis, prout loquitur Ictus  
Tryphoninus in *L. 12. §. 7. 8. ff. de Captiv. & redempt. ab host.* De hac  
ipsa seruitute ex animo sibi gratulantur veri Christiani, nil magis in vo-  
tis habentes, quam vt testari vbique possent reuerentiam, fidelitatem, &  
obsequium, quod Domino suo ac redemptori debent. Incidunt ipsis saepi-  
us verba Spiritus Sancti *Rom. VI, 22.* nunc vero liberati a peccato, ( vt  
& imperio satanae ) serui autem facti DEI, habetis fructum vestrum in  
sanctimoniam, finem autem vitam aeternam. Et quamuis in redemptis ab  
hostibus disponant Iura humana, quod deceat ipsos, aut datum pro se-  
cretium emtoribus restituere, aut laboris obsequio, vel opere quinquen-  
nil

ni vicem referte beneficii, prout Imp. Honor. & Theodof. AA. refcri-  
pferunt Theodoro P. P. in *L. 20. C. de redempt. ab host.* norunt tamen  
veri Christiani, neque restituendo datum pro se pretium redemptori suo,  
( id quod nunquam fieri potest ) nec laboris obsequio, nec opere, non  
quinquennii, sed nec per totum etiam vitae decursum, vllam, nec mini-  
mam, vicem beneficii semet referre posse, sed agnoscunt ex animo, licet  
fecerint omnia quae edicta sunt ipsis, seruos tamen maxime inuitiles esse,  
nec fecisse, id quod debuissent facere, *Luc. X, 17.* quamuis ad quodlibet  
seruitiorum genus, citra omnem exceptionem, restrictionem, vel limi-  
tationem, semet promptissimos, paratissimosq; , non solum profiteantur,  
( haud verbis honoris vtentes ) sed &, quo semet tales gerant, omni stu-  
dio serioque conatu per gratiam diuinam annitantur. In quo iterum  
a fictis illis, & putatiuis differunt Christianis, qui itidem semet pro ser-  
uis DEI quidem venditant, verba tamen honoris saltem proferunt, &  
quando mandatis diuinis obtemperandum, ipso facto declarant, ciuilia  
saltem fuisse verba, quae in lingua tantummodo nascuntur, vel etiam di-  
cis gratia solum exprimentur: qualia inter homines huius seculi frequen-  
tissima sunt, & quotidiana. Vel etiam clausulam illam formulae iura-  
menti fidelitatis, quam maxime suam faciunt, quam exhibet Feudista, 2. F.  
6. semet omne facturos, quod ipsis facile & possibile est: neque ad illa,  
quae in statu mere naturali ipsis impossibilia sunt, licet per gratiam Al-  
tissimi fieri possint, semet obligatos putant, v. g. ad abnegationem sui  
ipsius: vt attollant crucem suam quotidie: vt carnem crucifigant cum  
affectibus & cupiditatibus; & quae sunt alia huius generis innumera, quae  
vt recenscam, pagellarum angustia prohibet. Tentemus iam nos ipsos,  
Ciues optimi, exploremus nos ipsos, durantibus hisce septimanis, medita-  
tioni Passionis Dominicae dicatis, & vltra, quamdiu in hac palaestra pugnan-  
dum, an captiui simus & serui Satanae, serui carnis nostrae corruptae, & af-  
fectuum nostrorum, serui impiorum, ita, vt ab ipsorum voluntate & nutu de-  
pendeamus, & tunc fructus habebimus, de quibus erubescendum, & quorum  
finis mors est: An vero ita redempti ab hostibus, per Christum redemptorem  
nostrum, qui pro nobis passus, & crucifixus, vt serui facti DEI, & habeamus  
fructum nostrum in sanctimoniam: Et finis erit vita aeterna. Nam stipen-  
dium peccati mors, donum autem DEI est vita aeterna, in Christo Iesu,

Domino nostro. *Rom. VI, 21. 22. 23.*

P. P. sub Sigillo RECTORATVS, Dominic. Quinqua-  
ges. d. 11, Febr. clō 16ccxv.





ficti illi, & putatiui Christiani, semet quoque per Christum  
iactant, prout & redemptos esse, negari nequit, non tamen  
sunt redemptionis pretio, sed a veteratore summo, loco per  
adulterinam sibi substitui patiuntur, quatenus in tenebris  
illosque habent obcoecatos, neque eandem admouent ad La-  
verbi Diuini. Ficti illi & putatiui Christiani, semet per re-  
uatoris, liberatos esse ab imperio satanae, sibi persuaden-  
tem arripiunt, vt datam carni occasionem *Galat. V, 13.* &  
velamen eandem habent, *1. Petr. II, 16.* Est ipsis maxime  
tatis Christianae nomen: ast in quonam illa consistat, vel  
scire nolunt. Elegantia plane, & Principe digna sunt ve-  
ueri & Antonini, quae adducit Imperator in *S. 8. I. quib. n.*  
*firm.* Licet Legibus soluti simus, attamen Legibus viuimus  
quando ad libertatem Christianam applicauerimus, veterator  
& Sophista nefarius, discipulis suis ita inculcat, vt fallaci  
compositionis & diuisionis, posterius membrum, a priori  
enim thesi promtissime subscribunt illi, de quibus iam dixi  
*gibus soluti sumus*: siquidem lubentissime dirumpunt lora ip-  
iiciunt a se densos funes istarum *Psalms. II, 3.* vel etiam ab  
Apostoli *Rom. X, 4.* finis Legis est Christus, ad iustitiam cum  
cum ipsi haud sint credentes: Posterius autem membrum  
*gibus viuimus*, omittunt. Aequae ac contingit in dicto illi  
*VIII, 1.* nulla nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christi-  
iubet subsistere satanas: Cum tamen sequentia quoque omnia  
qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum  
dem illa demum vera est libertas, seruum DEI esse, & Liberum  
rum. Est hic effectus redemptionis ab hoste, quod si quis ser-  
stibus captum, redemerit, protinus sit redemptus, & con-  
de redemptis lata, eum seruum facit redemptis, prout  
Tryphoninus in *L. 12. S. 7. 8. ff. de Captiv. & redemptis.* ab  
ipsa seruitute ex animo sibi gratulantur veri Christiani, nihil  
tis habentes, quam vt testari vbique possent reuerentiam, fidei  
obsequium, quod Domino suo ac redemptori debent. Incidit  
us verba Spiritus Sancti *Rom. VI, 22.* nunc vero liberati a  
& imperio satanae) serui autem facti DEI, habetis fructum  
sanctimoniam, finem autem vitam aeternam. Et quamuis in  
hostibus disponant Iura humana, quod deceat ipsos, aut da-  
pretium emtoribus restituere, aut laboris obsequio, vel op-

